

P. LEONARDUS LESSIUS SI

**DE PERFECTIONIBUS  
MORIBUSQUE DIVINIS**

---

LIBER DECIMUS TERTIUS  
**DE JUSTITIA ET IRA DEI**

---

CAPUT XIII  
**DE SUBTRACTIONE AUXILII EXTERNI**



CRACOVIAE 2018

[www.ultramontes.pl](http://www.ultramontes.pl)

# DE PERFECTIONIBUS MORIBUSQUE DIVINIS

Libri XIV

QUIBUS PLERAQUE SACRAE THEOLOGIAE MYSTERIA BREVITER  
AC DILUCIDE EXPLICANTUR

P. LEONARDUS LESSIUS SI

---

## LIBER DECIMUS TERTIUS DE JUSTITIA ET IRA DEI

---

### CAPUT XIII

#### *De subtractione auxilii externi*

74. TERTIA poena spiritalis est subtractio auxilii externi. (1) Hoc auxilium potissimum in sex rebus situm est: in *praedicatione verbi divini sanaeque doctrinae*, in *sacramentorum usu*, in *sacrificio Missae*, in *precibus sanctorum ac piorum*, in *bonis monitoribus et consiliariis*, denique in *tribulationibus et flagellis*. His fere modis et adminiculis externis Deus utitur ad homines a peccatis abstrahendos, et ad salutem perducendos. Sed inter haec, tria priora maximam vim habent, adeo ut tota paene salus ex illis pendeat. *Fides* enim (quae est totius boni spiritalis et salutis fundamentum) nascitur ex auditu verbi Dei: *justificatio* perficitur, augetur et conservatur sacramentorum usu: *sacrificio* ira divina mundo placatur, flagella impendentia avertuntur, poenae peccatorum relaxantur, interna gratiae auxilia obtinentur, et daemonum impetus coercentur. Ex quibus patet, quanti haec bona sunt momenti. Deus tamen propter peccata Christianorum saepe ista subtrahit, et oppida, provincias ac regna praesidiis istis destituit, dum justo iudicio permittit ut in haereticorum redigantur potestatem,

qui ministros Ecclesiae, et una cum ipsis sanam doctrinam, usum sacramentorum, sacrificium sacrosanctum, omnemque religionem ac veram pietatem exterminant, inaestimabili profecto damno. Millies praeoptanda erat fortunarum jactura, liberorum orbitas, perpetua servitus, et patriae totius eversio. Et tamen ea est mortalium vecordia, ut haec detrimenta parvi faciant, modo temporali pace et vilibus hujus vitae bonis frui sinantur. Meretur sane hujusmodi punitionem catholicorum tepor et oscitantia, qui ita terrenis sunt addicti, ut de coelestibus istis donis parum sint solliciti.

75. Hanc poenam minatur Dominus, Matthaei 21, cum ait: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Et Amos 8: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et mittam famem in terram; non famem panis, neque sitim aquae, sed audiendi verbum Domini.* Haec fames est apud haereticos, quia est summa veritatis inopia, cum tamen omnes dicant se eam sitire et quaerere.

Praeter haec, interdum Deus subtrahit sanctorum preces, vel eas statuit non exaudire. Jeremiae 7: *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumes pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Similia habentur Jeremiae 15, et Ezech. 14. Deinde bonos consiliarios et monitores, Jeremiae 51: *Curavimus Babylonem, et non est sanata: derelinquamus ergo eam, quia pervenit usque ad coelum iudicium ejus.* Et Isaiae 3: *Ecce dominator Dominus exercituum auferet a Jerusalem et a Juda validum et fortem, omne robur panis, et omne robur aquae, prophetam, et ariolum, consiliarium, et sapientem de architectis, et prudentem eloquii mystici.* Denique aufert tribulationes et flagella, quibus homines resipiscerent, et permittit eos frui prosperitate praesenti ad breve tempus, tanquam a cura sua repulsos, et quasi desperatos. Osee 4: *Non visitabo super filias vestras cum fornicatae fuerint, neque super nurus vestras cum adulteraverint.* Psalm. 72: *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur; ideo tenuit eos superbia, aperti sunt iniquitate et impietate sua,* etc.; innumerabiles enim prosperitate pereunt, qui flagellis salvarentur.

*P. Leonardus Lessius SI*

---

*De perfectionibus moribusque divinis Libri XIV quibus pleraque sacrae Theologiae mysteria breviter ac dilucide explicantur.* Auctore Leonardo Lessio, Societatis Jesu S. Theologiae Professore. Novam editionem curavit quidam Theologiae Professor. Parisiis. SUMPTIBUS ET TYPIS P. LETHIELLEUX, EDITORIS. [1875], pp. 388-389.

Leon. Lessii, S. J. *Opuscula. I. De perfectionibus moribusque divinis Libri XIV quibus pleraque sacrae Theologiae mysteria breviter ac dilucide explicantur.* Editio nova, novis curis emendata. Post editionem Antwerpiae datam anno 1626, ab ipso auctore paulo ante mortem varie aucta et recensita. Parisiis. SUMPTIBUS ET TYPIS P. LETHIELLEUX, EDITORIS. 1881, pp. 388-389.

Leonardi Lessii S. J. Theologi *De perfectionibus moribusque divinis opusculum in quo pleraque sacrae Theologiae mysteria explicantur.* Novam editionem curavit P. Roh S. J., Friburgi Brisgoviae. SUMPTIBUS HERDER. MDCCCLXI (1861), pp. 377-378. (1)

---

*Facultas R. P. Praepositi Provincialis  
Provinciae Flandro-Belgicae.*

CAROLUS SCRIBANI societatis Jesu in provincia Flandro-Belgica praepositus provincialis, potestate ad id mihi ab admodum Rdo P. N. Mutio Vitellesco generali praeposito concessa, Balthasari Moreto typographo Antuerpiensi facultatem concedo, mandandi typis commentarium P. Leonardi Lessii de attributis divinis, quem Theologi aliquot societatis nostrae probarunt. In cujus rei fidem his mea manu subscripsi, et consueto officii sigillo communivi.

Antuerpiae, III. Augusti, anno MDCXIX.

Carolus SCRIBANI.

APPROBATIO.

ISTE de divinis attributis tractatus utilissimus est, ad hoc serviens, ut mens tam sublimium rerum contemplatione in Dei admirationem atque amorem assurgat.

GUILIELMUS FABRICIUS *apostolicus  
et archiducalis lib. Censor.*

---

**Notae:**

**Titulus marginalis:**

(I) Subtractio auxilii externi.

(1) Cf. 1) P. Leonardus Lessius SI, a) [\*O doskonałościach i obyczajach Bożych. Księga XIII. O sprawiedliwości i gniewie Boga. Rozdział XIII. O pozbawieniu zewnętrznej pomocy.\*](#) b) [\*De excaecatione et obduratione.\*](#) c) [\*De perfectionibus moribusque divinis.\*](#)

2) S. Alphonsus Maria de Liguorio, Ecclesiae Doctor, [\*Opera dogmatica. \(Ex italico sermone in latinum transtulit, ad antiquas editiones castigavit notisque auxit Aloysius Walter CSsR\).\*](#)

3) Sac. Franciscus Zeibert, [\*Compendium historiae ecclesiasticae.\*](#)

(Nota ab ed. *Ultra montes*).

30

DE  
PERFECTIONIBVS  
MORIBVSQVE  
DIVINIS  
LIBRI XIV.

Quibus pleraque sacrae Theologiae mysteria  
breuiter ac dilucidè explicantur.

Auctore LEONARDO LESSIO Societatis IESV  
S. Theologiae Professore.



ANTVERPIÆ,  
EX OFFICINA PLANTINIANA,  
Apud Balthasarem Moretum, & Viduam  
Ioannis Moreti, & Io. Meurfium.

M. DC. XX.

*Cum Priuilegiis Cesareo & Principum Belgarum.*

( [HTM](#) )

© *Ultra montes* ([www.ultramontes.pl](http://www.ultramontes.pl))

Cracovia MMXVIII, Kraków 2018